

meas opusculum quoddam de scriptis meis, quod quaedam sanctionales secundum exemplar meum, cujus littera gracilis et stricta erat, scripserant, quod ita corruptum fuerat, tam in sensu quam in littera, ut satis ex hoc expavescerem. nam vitium scriptoris aliquando redundat in auctorem.

Hujusmodi causae compellunt me, ea, quae in quaternulis notaveram, et solemnius scribere et diligentius emendare. opiniones magistrorum, in quibus diversa diversis modis diffinire videntur, consideravi, et quae mihi probabiliore videbantur, aliquando in scriptis meis quasi pro sententia posui. quod si aliquis in eisdem scriptis aliquid, quod merito displicere debeat, repererit, antequam me judicet, si fieri potest, originale respiciat: si vero in illo idem invenerit, veniam postulo, quod non ex industria, sed ex ignorantia factum sit. error non facit haereticum, sed defensio erroris. hoc ideo dico, quia, quod semel emissum est, difficile revocatur.

Quaedam opuscula ad excitandum (*wahrscheinlich ist exercendum zu lesen*) me scripsi, alia vero ad diversorum petitiones, secundum quod epistolae praemissae declarant, edidi. quantum vero codex unus capere potest, diversos, ut dixi, tractatus minores in illo posui, non tam secundum ordinem, quo a me dictati sunt, sed secundum ordinem sacrorum librorum, ex quibus ipsa themata sumpta sunt. ut autem cognoscatis, pater venerande, omnia, quae a me, gratia Dei cooperante, dictata sunt, universa secundum ordinem replicabo. non enim dubito, quin charitas vestra mihi congaudeat, si aliquid boni dictare vel scribere potero.

1. Primo omnium in adolescentia mea, paucis admodum sermonibus prolibatis (*l. vielleicht praelibatis*) ad exercendum me, super verba Joannis, ubi in Apocalypsi dicit: ‚Signum magnum apparuit in caelo, mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus, et corona duodecim stellarum in capite ejus‘, scripsi libros duos, septemplexiter eundem versiculum exponens. hujus opusculi prologus sic incipit: ‚Licet haec clausula a doctoribus catholicis multifarie multisque modis sit explanata.‘

2. Item super verba ejusdem Joannis, ubi dicit circa principium evangelii sui: ‚Verbum caro factum est et habitavit in nobis‘ scripsi sermonem unum, ex singulis litteris verbi